



Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom. XII. post pent. Euan. Dixit ad q[uo]sda[m] qui in se. Luc. 18 Homiliæ
tres. Vicima homilia e[st] de decimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

ti tamen ex ijs boni erant & pii, audientes uerbum domini, cum nondum erant hic festa paschalia, atq; ij multis Christianis multo fuerant meliores, qui etiam festis diebus non audiunt cōciones sacras, ad quas et si accesserint, aufugiunt statim, neq; præstolātur finem. Nos iam communibus uotis oremus dominum pro omnibus.

DOMINICA XII.

POST FERIAS PENTECOSTES, Euangelium

Lucæ XVIII.



Sup. 2
Actus. 3

In illo tempore dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebāt tanquā iusti, & aspernabātur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus pharisæus & alter publicanus. Pharisæus stās, hæc apud se orabat: Deus, gratias

Ecc. 5
Sup. 15

ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. Ieiunō bis in sabbato, decimas do omniū quæ possideo. Et publicanus à longe stans, nolēbat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus

in domum suam ab illo. Quia omnis qui se ex-
 altat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabi-
 tur. *Matth. 23*
De philosophi infans.

HOMILIA I.

Lectio hæc sancti euangelij fratres inuitat nos ad
 orandum & credendum, & non de nobis, sed de do-
 mino præsumendum. Quamuis enim opus bonum
 & præclarum est oratio in uniuersum loquendo, tamen
 ea quoque uana est, si non adsit tum humilitas, tum fidu-
 tia magna misericordiae dei. Atque ideo euangelium il-
 lud speculum quoddam esse debet omnibus Christianis,
 ut sic orationem suam, aliaque opera bona quæ faciunt, om-
 nia faciant ea forma, ut sint deo accepta. Dixit, inquit
 Lucas, dominus ad quosdam qui in se confidebant tanquam
 iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam. *Eccl. 10*
 Et si omnis superbia deo pariter atque hominibus execrabilis
 sit, tamen adhuc non odiosior tantum, sed & scelestior
 est illa, qua quis opera bona sibi adrogat, non domino ad-
 scribit & fert accepta. Quid enim hoc aliud est, quam ipsum
 negare deum? atque ideo mederi uolens dominus isti si-
 ue philantiae siue fidutiæ sui, parabolam hanc in medi-
 um proposuit, simulque docuit, quod quamuis iustitia fa-
 cit hominem adpropinquare deo, tamen ubi primum in-
 gerere se cœperit superbia, statim deicit hominem & pro-
 sternit. Sicut ergo ante huius euangelij principium ad o-
 rationis perseverantiam exhortatus est, dicens: Oportet
 semper orare, & non deficere: ita hic docet non solum o-
 randum esse multum, sed & humiliter, quoniam non uer-
 ba à deo examinantur, ait Beda, sed opera, quorum omni-
 um uelut domina humilitas est. Atque hoc illud est, quod
 hac parabola dominus edocuit aduersus eos, qui in se con-
 fidebant, & alios præ se cõtemnebant hypocritæ: quos ait
 Paulus ignorare iustitiã dei, propriamque suã adstruere, &
 ideo iustitiæ dei non esse subiectos. De hac ipsa fiducia sui
 multa diximus in homilijs de præparatione ad sacramen-
 tum, sed tamen ut hic quoque non nihil dicam, nemo in se-
 ipsum cõsidere debet tanquam iustum, sicut fecerunt, quos hic

Augustin.

Eccl. 10

Beda.

Roma. 10
Luc. 17

corripuit dominus: Quin potius ubi omnia quæ præce-
 pta sunt nobis perfecimus, dicamus quia serui inuiles
 sumus. Atq; hoc illud est quod uulgo dicimus. Quod bo-
 num est fac, adhuc tamen metue. sic Paulus quamuis nil
 se sibi conscium dicebat, addidit tamen, nō ideo se statim
 esse iustificatum. Atq; ad hoc uel maxime moueat homi-
 nem, q̄ quicquid id est, boni quod facit, ex se non habet,
 sed ex gratia dei dicente Paulo: Quid habes quod non ac-
 cepisti? Vere enim omne bonum à deo est, ut etiam testa-
 tur ecclesia dum orat: Deus, cuius est totum quod est opti-
 mum. Quando igitur omnis nostra probitas à deo est,
 ne gloriemur, neq; efferamur ob eam. Quid q̄ hæc ipsa
 quoq; quam habemus, iustitia nec munda est satis, nec in-
 regra, sed instar panni menstruatae mulieris? Usque adeo
 se ingerunt undiq; muscæ Aegyptiæ, ut uix tanto seruo
 eaq; libertate facias quicquam, quò non uel ambitio in-
 ferat se uel huiusmodi quiddam. Ad hæc, qui bonus est, est
 quoq; timere oportet ne cadat, omnemq; iustitiam suam
 amittat. Qui stat, inquit Paulus, uideat ne cadat. Idem ad-
 eo Iob etiam de angelis dei adfirmat, dicens: Ecce qui ser-
 uiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prau-
 tatem: quanto magis ñ qui habitant domos luteas, con-
 sumunt uelut à tinea? hoc est, Si labunt angeli, quãto po-
 tius hoies quoq; multa carnis debilitate oppressi, errant
 & cadunt? Accedit ñs, quod nemo scit, iustus ne corã deo
 sit an non, sicut iam ex Paulo audiimus, & clare dicit sa-
 piens: Nemo scit, odiò ne an amore sit dignus. Quamob-
 rem David quoq; orauit dominum: Ab occultis meis mû-
 da me: Et sic etiam Gregorius dicit: Quod si scienter trã-
 gredimur, & sic noxam non effugimus, quid periculi me-
 tuendum nobis in ñs quæ ignorantes delinquimus? Atq;
 ñs serè de causis magna hæc fuit stulticia, quod tantum
 suæ probitati tribuerunt, meritoq; ob id sunt à domino
 reprehensi.

2. ¶ Duo homines ascenderunt in templum. Quo ad
 literam, oportebat sane Iudæos ascendere in templum il-
 lud nobilissimum Salomonis, extractū in suprema urbis
 parte, in monte inquam Moria, sicut in libro Paralip. Ie-
 gimus Salomonem ædificasse ibidem templum. (sicut in

Luc. 17
1. Corin. 4

ibidem.

Isaie. 64

1. Corin. 10
Iob. 4.

Ecci. 9
psalm. 18
Gregori.

2. Para. 3

dedicatione templi dicitur. Vrbs autem ex monte decli-
uis uersus uallem posita erat: & sic quisquis orare uole-
bat in templo, cogebatur ascendere. Sunt qui referre uo-
lunt hoc ad gradus illos qui erant ante templū, sicut Ieze-
chiel scribit, q̄ oportebat ascendere gradus septem in tē-
plum, utiq; non sine speciali mysterio & significatione.
Atq; hoc quidem quo ad literam. Ascenderunt ergo in tē-
plum, quia sequitur, Descendit ille iustificatus. Addit autē
& ascensionis causam huiusmodi, Vt orarent, nō ut nouos
rumores aucuparentur, quod faciunt, qui nouitates sectā-
tur, mercatores, ut mercimonia tractent; amatores, ut pā-
scant oculos, & quod uolunt uideant: mulierculæ etiam,
quæ spectatum ueniunt, spectentur ut ipsæ. Orandi causā
adeundū est templum: & tamen tunc quoq; periculum ē,
ne quid mali subrepat, sicut in hoc pharisæo audiemus.

Jeze. 40

Isaie. 56
Matth. 23

Christus inquit, Domus mea domus orationis uocabitur.

Luce. 19

Quilibet igitur domum illam dei reuerenter ingrediat,
exēplo Moysi, qui calceos quoq; exiit in loco, quo appa-
ruit ei dominus in rubo. Pharisæus alter erat, alter mune-
re & officio sungebatur publico, sed eiusmodi, q̄d sine pec-
cato exercere non porerat. De pharisæis multa diximus
in superioribus homilijs. constat enim eos bonam habuissē
se speciem pietatis, schedasq; in fronte & manibus circū-
gestasse quibus inscripta fuit lex, ut sic illius semper me-
mores, dei quoq; non obliuiscerentur. In simbrijs q̄q; ue-
stitium gestabāt spinas, quarum punctiōibus legem in re-
centi habere memoria urgerentur. Sic dominus dixit:

Exodi. 3

Dilant phylacteria sua, & magnificant simbrias, qui q̄-

Matth. 23

dem egregius erat honestatis fucus, sed ille uanus & sor-
didus, homines se spirituales mentiebantur habitu & ge-
stu externo, sed ipsi interim homines erant nihili, sicut
ibidem dicit dominus: Væ uobis scribæ & pharisæi hypo-
critæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris
parent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus
mortuorum & omni spurcitiā: sic & uos a foris quidem
parentis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocri-
si & iniquitate.

Matth. 23

¶ Id adeo satis patet in hoc pharisæo, qui tam pom-
pōse orationem suam incepit stando, quæ etiam prima in

- eo superbia est externo gestu declarata, aliter autem edo-
ctus erat à propheta dicente: Venient ad te curui filii eo-
rum, qui humiliauerunt te, & adorabunt uestigia pedum
tuorum. Ita enim faciebant Iudæi, quando Moyses nun-
cium referebat eis, futurum esse ut deus eriperet eos ex Ae-
gypto, quoniã sic habet textus, Proni adorauerunt. Vnde &
Isaias dicit, Adorabunt te prona facie in terram. Non sic
autem pharisæus iste, qui se non inclinauit, suisq; similes
reliquit hæredes multos stupidos & nihili homines, qui
cum templum ingrediuntur, nec deum uerentur, neque
sanctos: aut certe si eueniat felicissime, altero genu leni-
ter ad parietem inclinato, alterum distendunt turpiter,
inique sane & improbe. Quoniam cū omnes Christianos
hoc parum aut nihil deceat, tum uero maxime nobiles &
qui ingenui uolunt haberi, dedecet. Aut cur metuis incli-
nare te coram eo, qui omni honore dignissimus est?
3. ¶ Sic ergo orauit ille secum: Gratias ago tibi deus,
Secum, inquam, orauit, hoc est, orauit quicquid ipse secū
tacitus cogitauit, non quod inspirauit spiritus domini.
Nos enim nescimus quomodo oremus, spiritus autem in-
terpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At quis
secū orat? quisquis ipse sibi placet superbus & elatus. quã-
obrem nos admonet Paulus, ne placeamus ipsi nobis, sed
ut quisq; proximo suo placeat in domino ad ædificatio-
nem. Atq; hoc est quod ait Gregorius: Oratio hominis si-
bi placens, non ascendit ad cælum. Quod autem iste sibi
bene placuerit, testantur ipsa eius uerba. siquidem sic ora-
uit: Deus, gratias ago tibi q̄ non sum sicut ceteri homi-
nes. Gratiarum actio opus sane bonum & præclarum est,
teste Paulo, qui nos & gaudere semper & sine intermissio-
ne orare, atq; in omnibus gratias agere iubet, q̄ hæc sit
uoluntas domini, & alibi semper etiam nos monet grati-
as agere in omnibus in nomine domini Iesu Christi.
- ¶ Quod si quis gratias agat ex superbia & fastu, iam-
iam peccauit, sicut hic reprehenditur, qui fastuose orauit.
neq; enim ille sic inchoasse debebat orationem suam, sed
sic ut monuit Sapiens: Iustus prius est accusator sui. Verū
iste nimium sibi iustus uidebatur, quasi qui nõ indigeret
adcusatione sui, ratus nihil esse quo adhuc haberet opus.

Isai. 60

Exodi. 4.
Isai. 45Roma. 15.
Gregori.

1. Thess. 5.

Ephes. 5

Proue. 18

non considerans interim egestatē, qua premebatur, sum-
 mam. Omnis enim qui huiusmodi est ingenio, attendere
 debet illud Iohannis : **Dicis tu quidem, diues sum, nullo** **Apoc. 52**
indigeo, & nescis interim quā sis miser & miserabilis,
 cæcus, nudus & egenus. **Magna hæc erat istius insolentia,**
 quod cum tantopere gratia dei destitutus esset miser, tam
 adhuc se iactabat, & quasi omnibus alijs malis existentib⁹
 unum se gloriabatur esse iustissimum: quæ utiq; superbia
 execrabilis est, præ se quoslibet alios contemnere: quoni-
 am superbia magna est, putare se donum habere quo ma-
 xime caret, ut hic pharisæus. **Aliter Paulus, qui huiusmo-** **Galat. 6**
di homini dicit, quod quisquis arbitratur aliquid esse se,
 cum nihil sit, seducit seipsum. **Superbus est, qui existimat**
 singularem habere se bonitatem, & contemnit interim
 alios, uolens bonus haberi præ omnibus. **Sic iste pharisæ-**
us meliorem se alijs putabat, raptoribus & adulteris: ra-
pторibus inquam se reputauit meliorem, qui uere raptor **Matth. 23**
erat, quoniam sic dicit domin⁹: Væ uobis scribæ & phari-
sæi, qui comeditis domos uiduarum, oratione longa orā-
tes, quod cum fecerit ille, quanto fuit latronibus sceler-
stior: Vtiq; enim melior non fuit, qui se alijs omnibus an-
teposuit, communi pharisæorum omnium more, qui o-
pus tantum prohibitum esse putabant, cogitationes autē
omni gaudere libertate. Errârunt autem in hoc, quæ existi-
mârunt legem prohibere solummodo manum, non etiā
animum. Addit deinde, Et sicut hic publicanus. Quod ual-
de temerarium existit iudicium, ipsum minime decens, **Malach. 2**
testante Sapiente: Noli contemnere hominem in amari-
tudine cordis sui. unus enim est qui humiliat & exultat, **Eccl. 7**
circumspexit deus, cui suffragatur & Malachias: Nonne
deus unus est, qui creauit nos omnes: & cur quisq; conte-
mnit proximum suum? Ecce iste contemnit publicanum
quasi unum de cæteris, & ex numero malorum. Plura de
non iudicando proximum nostrū, diximus aliās.
 4. ¶ Nouerat utiq; pharisæus hic ex **Dauid**, duas es. **Theophyl.**
 se partes iustitiæ, fugere malū & facere bonum. Ita. n. ille
 ait: Declina à malo, & fac bonū. Postq̄ igit quæ uitasset ma- **Psalm. 146**
 la enarrauit, bona etiam q̄ fecerat, similiter cōme morat.

- Ieiuno, inquit, bis in sabbato. Ieiuniū opus utiq; bonum est & pium, aliās iste de eo gloriatus nō esset, quamuis neochristiani ut alia bona opera omnia, ita illud quoq; eludunt. Atqui satis non est ieiunare, sanctificanda insuper sunt ieiunia eleemosynis & orationibus. Quamobrem ille ait: Sanctificate ieiunium. Oporteret ijs hoc quoq; accedere, ut q̄s peccata uiter. aliās uel ex parcitate ieiunare, uel nimia inedia capitis sibi conciliare grauedinem, quid obsecro profuerit. Vnde & propheta dicit: Nōne hoc est magis ieiunium q̄d elegi? Dissolue cogitationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere homines animam suam? Nunquid contorquere qua si circulum caput suum? Teme re itaq; gloriatus est hic pharisæus de ieiunio, quod non ad honorem & gloriam dei, sed superbiam uanam mundi huius fecit, siquidem ex eorum erat numero, de quibus
- Joel. 2** Christus ait: Quando ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes, exterminant enim facies suas, ut uideantur ab hominibus ieiunare. Potius Sapiens iste sequi debuerat consiliū, cū dicit: Noli iustificare te corā deo, q̄a cognitor ille ē cordiū. Theoph. addit q̄ soliti fuerint ieiunare pharisæi secunda & quinta die. Non indocte tñ collegit, cum duo peccatorum genera commemorasset, uicissim se de duabus iactat uirtutibus. & adulterio quidem opponit ieiuniū, eo quod ex gula & crapula libido omnis proficiscitur, quia & uinum res luxuriosa est, & carniū esus, uini potus, uentrisq; saturitas, feminariū libidinis est, autore Hieronymo. Cui subscribit Gregorius, dicens: Princeps coquorum muros Ierusalem deiecit, quia dum uenter in gluuie tenditur, uirtutes animæ luxuria destruant. Pharisæus itaq; si huiusmodi animo & adfectu ieiunasset, laudem emeruisset & tantæ uirtutis præmium. Quando quidem & Ambrosius dicit: Ieiuni hominis spiritum, si serpens gustauerit, moritur. Vides quanta uis ieiunij sit, ut & spūto suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito spiritalem. Quodcunq; autem animo fecerit ille, male utiq; fecit, dū se adeo iactauit temere. atq; eo p̄cipue refere hoc dominus, dicente Theophylacto: Bene cooperat ille orare, inquiens: Deus, gratias ago tibi, sed statim deficiēs
- Matth. 6.**
- Eccl. 5**
- Hiero. Li. 2. cō. 10.**
in pasto.
- Li. 6. hebr. ca. 4**
- Theoph.**

ab eo, subiecit: Ieiuno, decimas do, quādo dicere debebar, Gr̄atias ago tibi dom̄ne deus meus, quoniam tu per magnam misericordiam tuam autor fuisti mihi, q̄ adulteria uitārim & rapinas, per tuam ego gratiam ieiunavi. Atq; hęc omnia ille adrogauit sibi, suisq; uiribus, dicens: Non sum sicut ceteri homines, quando debebat dare gloriam deo. Addidit inde: Decimas do omnium quę possideo. Simul atq; ostenderat se colere deum toto corpore suo, nunc declarat se etiam seruire illi bonis suis & decimis, quas dum dedit, bene utiq; fecit. siquidem præceptū hoc ei fuerat multis modis in ueteri testamento. sic enim habet lex: Omnia quę offertis ex decimis & in donaria domini separabitis, optima & electa erunt cuncta. Et non peccabitis super hoc, egregia uobis & pingua referuantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini. Non igitur peccatum erat dare decimas, sed de opere illo iactare se, id deniq; malum erat. Vtiq; ex illorum numero extitit, de quib⁹ ait dominus: Vx̄ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquistis quę grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem: hęc oportuit facere, & illa nō omittere. Vide autē q̄ astute & callide postquam incusasset eos, qui aliena rapiūt, laudat se iam & cōmēdat ex eo, q̄ etiā propria exponat. Pulchrū est qd̄ hic Beda inducit: Iezechiel cū iā animalia cæli uidisset, subiecit totum corpus fuisse plenum oculis. Ideo autē corpora animalū plena oculis cōmemorātur, quōd omnia sanctorum opera prudenter sunt circūspecta, quo fit ut bonū bene prouideatur, & malum caute uitetur. nobis autem sæpe numero accidit, ut dum atcēdimus unum, negligamus alterum, eōq; loco quo quid negligimus, sine dubio nihil obseruationis habemus. Ecce enim pharisæus iste oculū quidem habebat ad gratiarum actionem, orationē & decimas, sed humilitatem ne in minimo quidem considerabat. Quid autem proderit, urbem egregie esse præmunitam ab omni incursu hostium, simulq; tamen patere alicubi foramen quo isti irrumpant? Vos itaq; dilectissimi, fugite superbiam & insolentiam, nihil boni parientem, deo & hominibus odibilem &c. Amen.

Exodi. 22.
Leuit. 27.
Deut. 14.
Nume. 18

Matth. 23

Beda.
Iezech. 1

Augustin. **N**on tantum nos docet dominus facere bonum, sed & magna prudentia uisitare malum, ne, dum qd à nobis recte gerit, appetitus laudis surrepat; & quod foris bene agitur, intus à mercede uacuetur. Id ad eo iste nos docet pharisæus, qui sex bona in se habuit, neque adulter, nec prædo, nec publicanus erat, ieiunabat, decimas dabat, & gratias agebat domino. Verū quando gloriofus iste suis omnia dabat uiribus, præ se alios contemnēs, omnē sui operis amisit remunerationem. publicanus autem stabat à longe, & nolebat oculos quidem attollere ad cælum, & tamen iustificatus descendit. Nos dispiciamus textum. principio autē solerter considera, q̄ totidem in publicano fuerunt argumenta humilitatis, quot in isto superbiz. nouerat enim se per peccatum longe esse à deo, quoniam sic Salomon dicit: Procul est dominus à malis. & Dauid, Longe à peccatoribus salus. Paulus quoq; ait gētes procul fuisse à deo in infidelitate sua, inquit: Nunc in Christo lesu uos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. A longe stetit, eo ipso quoq; discreti men ostendens à statione pharisæi. indignum enim arbitratus est esse se qui appropinquaret sanctis, exemplo Petri qui dixit: Exi à me dñe quia homo peccator sum. Sic Iosue prohibuit Iudæis, ne appropinquaret arca. Quia cum accessisset propius ad illam, subito mortuus est. Stetit igitur iste à lōge, nō ausus accedere ad sancta domini, propriam suam agnoscens miseriam ex peccato contractam. ideoq; non sic se extulit, ut pharisæus, dicente Iob: Visita speciem tuā, & non peccabis. Vsq; adeo autem se reputauit indignum, ut etiam oculos attollere non auderet, eo q̄ patrem suum cælestem offendisset, secutus in hoc Sapientis prudentem illam & piā precationem: Domine, pater & de uita meā, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum ne dederis mihi. Atq; dici sane non pōr, quantum deo illa placeat hamilitas, placueritq; etiā hic in isto publicano, qui dum indignū se reputauit ut attolleret oculos in cælum, meruit hoc qd dñs illi appropinquauit, ipsumq; respexit oculis misericordiz suæ.

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

1. Cor. 15

Noluit inquā iste leuare oculos suos, cogitans cū filio pro
digo: Pater, peccavi in cælum & coram te, non sum dign⁹
q̄ filius dicar tuus. Quid multa: dū noluit ipse leuare ocu-
los in cælū, cælū ad se inclinauit, didicitq; idipsum a Dau-
de, Iob & multis alijs: qm̄ q̄ deprimitt oculos suos, saluabit.

Luce. 15

Bernar.

Job. 22.

Theoph.

Isaie. 6.

Ephē. 5

2. ¶ His omnibus accedit, q̄ & pectus suum percussit,
utiq; propter suas malas cogitationes, & ut excitaret qd̄
dormierat, sicut & Paulus ex Isaiā clamat ad quemlibet
peccatorem: Surge qui dormis, surge a mortuis, & illumi-
nabit te Christus. Idipsum catholicī & synceri Christia-
ni iam olim quoq; in usu habuerunt, ut confitentes pecca-
ta sua, & pœnitentiam agentes, pectora tunderent, quod
etiam nunc faciunt boni Christiani, uel inuitis hæreticis
istis, qui nescio quam parant irruptionem in cælum. Ha-
bet autem mos iste, præterq̄ quod deo bene placet, etiam
suas causas: quoniam & iste publicanus percussit pectus su-
um, considerans se ibi multa concepissee peccata, quibus
offenderat deum. Ex corde enim, inquit dominus, ex-
eunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicatio-
nes, furta, falsa testimonia, blasphemia: hæc sunt q̄ coin-
quinant hominem. Ad pœnitentiam huiusmodi peccato-
rum percussit pectus suum, qui gestus ideo etiam pro me-
dio ponitur remissionis peccatorum uenialium. Sic Au-
gustinus de uenialibus loquens: Separant, inquit, ista nos
ab illius sponsi amplexibus, nisi medicamento pœniten-
tiæ desiccantur. quod si falsum est, unde quotidie rundi-
mus pectora: quod nos quoq; anstites ad altare adstiten-
tes, cum omnibus facimus. Hinc paret temporibus Augu-
stini moris fuisse, ut in oratione dominica pij homines o-
rantes debita sibi dimitti, tunderent pectora sua. Alibi e-
tiam dicit: De quotidianis autem leuibusq; peccatis, sine
quibus hæc uita non ducitur, quotidiana oratio fidelium
satisfacit. eorum enim est dicere, Pater noster qui es in cæ-
lis. Quomodo autem illa cordium pulsatio euidentis sit ue-
re pœnitentiæ signum, uolens nunc prætereo: quoniam
sensatio illa in corde confessionem significat, & quod illa
cor tangit, pœnitentiam designat in opere.

Matt. 15

Ad Fel-

clianum.

In enchir.

cap. 71

3. ¶ Ad hæc omnia nõ cõrentus ille istis magne pietatis ar-
gumētis, cõpit orare & dicere; De⁹ ppici⁹ esto mihi p̄cõri.

KK ij

Ira hic in publicano quatuor illa cernimus, quæ quisquis pœnitentiam agere uult, habere debet. Primum enim est qd timeat deum, siquidem initium sapientiæ timor dñi ē.

- Sapient. 1.** Timuit autem ille, quia steterit à longe. Deinde pudore adfectus est q̄q̄, dum nō ausus est extollere oculos. id p̄cō-
Jeremi. 22 rem etiam facere p̄cipit Ieremias, Erubescas ab omni malitia tua. & alius propheta, Erubescite super uis uestris
Iezech. 36 domus Israel. Ad hæc, quia pœnitentia ductus est, peccus percussit. atq; hoc est q̄ Augustinus docet omnes peccatores facere debere, cū ait: Nisi pœniteat eum ueteris uitæ, nouam non p̄t acquirere. Postremo etiam orauit, quod omnes pœnitentes facere cum primis est necessarium.
Augustin. Breuis porro fuit publicani oratio: Deus, propicius esto mihi p̄cōri. & tamen pluribus ille uerbis orauit utiq;.
 Non enim est credendum, duntaxat illum hanc orationculam dixisse, sed omnium hæc finis extirrit.

- ¶ Deus, inquit, quo uerbo fiduciam suam omnē in deū reiecit, iuxta illud Dauidis: Iacta in dominum cogitatum tuum. & hoc Petri, Omnem sollicitudinem uestram in eū p̄ncipite, quoniam ipsi cura est de uobis. Addidit inde, Deus, esto p̄ propicius. non abscondit ille se ut Adam & Eua, sed manifestaui se corā domino, misericordiā petens ab eo. Quoniam illud domino proprium est misereri inuocatum, sicut & Dauid clamauit ad dominum: Propicius esto peccatis nostris. & Iohannes inquit, Ipse est propiciatorum pro peccatis nostris. Quamobrem etiam propiciatorum paratum est in tabernaculo, q̄ in illo propiciū se exhibuerit dominus. Breuis hæc quidem oratio, sed fortis erat & ualida, quæ etiam sententiam iudicis immutare potuit, & ex peccatore iustum facere. neq; enim ille se uel bonū iudicat, uel excusat, sed sic confitetur, ut Dauid, cum diceret: Ego sum qui peccaui, ego inique egi. & Daniel: Peccaui, inique egimus in omnibus iustitijs tuis.

¶ Quantū profecerit ille pauculis adeo uerbis, deinceps declarat dominus, dicens: Amen dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Magna hæc p̄cōribus omnibus consolatio est, qui pœnitentiam agunt cum hoc publicano. nāq; & ipsi iustificantur & uiuificantur p̄ gratiam dei, iuxta illam promissionem propheticam: Ibi

quacūq; hora auerterit se impius ab impietate sua, uita ui-
uet & non morietur. Admirabile hoc curriculum est. Ecce hic
currus duo; alter iustitiæ cum superbia, p̄t̄i alter cū
humilitate. producti sunt ambo, & uicit ille peccati, cur-
rum iustitiæ, eo q̄ p̄t̄m tractum est humilitate, & iustitiā
per superbiam impedita est. Id etiam declarare uolens do-
minus, subiūxit: Omnis qui se exaltat, sublimis a scensus
p̄cipites dant casus, magna superbia ingentes parat ru-
inas. Sic Salomon inquit, Ante casum exaltabitur cor, an-
te gloriam humiliabitur. Ideoq; etiam hic phariseus cum
exalasset seipsum, deiectus est & humiliatus: publicanus
autem propter magnam suam & humilitatem & p̄ceni-
tentiam, euectus est in gloriam sempiternam: quod etiā
considerans Iob, dixit: Qui humiliatus fuerit, erit in glo-
ria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.

Jezech. 18

Chrysof.

Proue. 16

Iob. 22.
Beda.

4. ¶ Typice autem iuxta sententiam Bedæ, phariseus
Iudæorum est populus, qui ex iustificationibus legis ex-
tollit merita sua: publicanus uero gentilis est, qui longe a
deo positus, confiteretur p̄t̄a sua: ille Messiam noluit acci-
pere Christum, qui in tanta uenerat humilitate, atq; id-
eo sic humiliatus est & deiectus in omni natione, populo
& gente. Sedent enim iam Iudæi, gens miseranda, sine tē-
plo, sacrificio & sacerdote. Atq; quis eorum multa adhuc
sunt millia in mundo, tamen ne minimum quidem ha-
bēt pagum cui dominarentur, & magistratū ibidem fun-
gerentur, nisi tantum quantum alius quisquā nobilis aut
cuius sepe possidet. An non est hoc exaltatos humiliare?
Nonne hoc est, quod Maria cecinit, Potentes de sede de-
ponere, & exaltare humiles. Magna quondam domina-
tia habuere Iudæi, diuitias ingentes, regna duo, quamuis sub
Dauidē & Salomone unum id tantum fuerit. sed ea maie-
state & magnificentia, ut nec æquale, neq; secundum ha-
beret in orbe tunc temporis. Sed quō iam redacta sunt o-
mnia: quæ nunc miseria, quæ malum infelicitas est, ut qui
quondam trecentis & ultra dominabantur ciuitatibus,
nunc proprium nil habeant, nullumq; dominium posside-
ant, cū tamen penē innumeri sint in mundo? Qui quon-
dam ea erant dignitate, ut etiam angelos hospitio exci-
perent, nunc uersis cum tempore rebus, eō peruenerunt

Osee. 3

Luce. 1

Iudæorū
miseria.

Sene. 18.

KK in

indignitatis, ut iā olim ex eorum templis commigrārint angeli, sicut eorū uoces audita: sunt noctu in templo, & uos die ab hinc octauo ex me audistis.

Supra. do **Per** publicanū autē, ut diximus ex Beda, populus intel-
minica. 11 ligit gētilis, qui longe stabat à deo: & tamē audita a p̄sōe
prædicationē, cōfessus est p̄ctā suā, idola dereliquit, sc̄q; deo
creatori suo cū p̄nitentia recōciliavit: & sic gentiles del-
facti sunt, adeo ut iam multū superēt Iudæos, sinēq; domi-
nem chariores q̄ illi. Pōt tamē hoc idē ad quemlibet homi-
nem superbū uel humilē referri. Diceret: Ecce Lazarus p̄
oēm uitā suā humilis exiit, & in imo iacuit contemptus
omnibus. Quid est ergo qd dicit hic dominus, Qui se hu-
miliat, exaltabitur? Respōdeo nō hic etiā tēpus expressit
se dominū, quoniā hic in hac uita illud semper nō fit. Qd
si ergo Lazarus in hoc mundo exaltatus nō est, in illo ta-
men sublimatus est utiq; adeo ut ab ipso diuine uideretur
in sinu Abraæ conuiescere. Sic etiā quilibet humilis, qui

Matt. 11 dominū sequitur, & audit dicentem: **Discite à me**, quia mi-
tis sum & humilis corde, exaltabitur: cū audierit uocem il-

Matt. 15 lā suauissimā, **Venite benedicti patris mei**, percipite regnū,
quod paratum est uobis ab origine mundi. **Et** nos itaq; uir-
tia nostra atq; defectus expendamus, de bonitate nō glo-
riemur, proximos nostros ne contemnamus. quicquid ex
illis uiderimus bonorum operum, id ipsum quoq; sequa-
mur, ut humiliemur. seruos nos existimemus inuicem, &
de omnibus defectibus nostris deprecemur dominū. Deus

Beda. omnipotens miserere supplicii tuo, quia non sum sicut in
numeri serui tui, contemptu seculi sublimes, iustitia me-
rito gloriosi, castitatis laude angelici: uelut & multi illo-
rum, qui post flagitia publica p̄nitendo tibi meruerunt
esse deuoti. **Qui** etiam si quid boni, tua gratia largiente,
fecero, quo sine hoc faciam, quæue districtione pensetur
ignoro. **Sic** coriari⁹ **Sue** cerdo iste faciebat, ad quē quidē
mittebatur sanctus Antonius in Alexandriā. cōmēdare. n.

S. Anton. ille solitus est indies uxore suā, liberos, se deniq; ipsum,
corpus & animā, oēm q; uictū & substantiā, sic dicens:
Dñe, largire quæso omnibus hominibus regnū celoꝝ: pro-
pter probitatē suā, mihi uero propter iniquitatē meā re-
tribue infernū, à quo nos custodiat optim⁹ maximus ille,
qui & in secula fuit, est & erit benedictus, Amen.

HOMILIA TERTIA EIVSDEM
dominicæ.

Eti in hac parabola decimarum eo tantum à Chri-
sto fiat mentio, quòd pharisæus iste tantopere su-
am in dandis bonorū omniū decimis, q̄ possideat,
iactat & gloriat perfectionē, tamē cū scriptura de decimis
sit undiq; plena, & res illa frequens & plane usitata sit, in
qua bonorū conscientia, ubi nulla est, offendit: atq; iniq̄-
rum perueritas multas hic p̄tendit excusationes, & mun-
dus iam non stultus solū effectus est, sed etiā q̄rundam ci-
uitatum ordinatiōes & statuta præ manibus habent, qui-
bus deo suas minuere decimas, contra manifestā & clarā
scripturā, & præscriptam diuic̄ receptā consuetudinē co-
nantur. Verum de exactiōibus, uectigalibus, thelonis, &
id genus alijs, nihil interim decedit. Quare aliquid de deci-
mis dicamus, quæ nos spūs sanctus per scripturas docuit. **Decime**
& id breuiter percurrere: primumq; statim scias nō esse
hanc humanam constitutionem, neq; hominis p̄ceptum
decimas dare, sed ipsius dei, & hoc passim in scripturis præ-
cipientibus. Ita deus in secundo libro Moysi præcepit:
Decimas & primitias tuas non tardabis afferre. & istud p̄ Exodi. 22
ceptum in quinto libro in locis multis rursus innouauit,
atq; inter cætera in tertio libro dñs dicit: **Omnes decime Pent. 12**
terræ, siue de pomis arborū siue de frugib⁹, dñi sunt, & illi
sanctificantur. & infra: **Omniū decimarū, ouis & bouis & Leuit. 27**
capræ, quæ sub pastoris uirga trāseunt, quicquid decimū
uenerit, sanctificabitur dño: non eligeretur, nec bonū nec
malum, nec altero cōmutabitur. Hic animaduerte pro-
prie uerba, & non solum maiores decimas (uti uocant) ha-
bebis, quæ sub fructibus terræ cōprehendunt, sed etiā mi-
nores, de pomis & fructibus arborum, capris & ouibus. & **Decime**
qd̄ hic dicit bonū nō debere eligi uel malū, prohibet ele- **minores**
ctionem fieri singularem tantū, cæterum ut aliquis non
quod optimum est teneretur dare, ita nec quod pessimum.
Quod aut̄ is recte faciat, q̄ de optimis decimat, audi qd̄ dñs
dicat: **Omnia q̄ offeretis ex decimis, & in donaria dñi sepa- Nume. 18**
bitis, optima & electa erūt cūcta, & uos nō peccabitis sup
hoc, egregia uobis & pingua reseruâtes, ne polluaris ob-

- laciones filiorum Israel, & moriamini. Rationes autem duas, cur deus ab hominibus decimas exigat, inuenio: alteram, cum sit dominus cæli & terræ, sicut ad patrem locutus est ipse: **Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ.** Sacerdotes etiam in suis orationibus sic dicebant, Tu dominus omnium rerum. Quod si rerum omnium uniuersalis dominus est, huius potestatis & dominationis suæ aliquod sibi signum reseruauit, ut illum summum deum colamus, timeamus & cognoscamus, quod ipse in quinto libro Moysi testatur: **Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra, frumenti, uini & olei, primogenita de armentis & ouibus tuis, ut discas timere dominum deum tuum omni tempore.** Sequitur hæc decimas dare esse actum patriæ, quia reseruauit sibi in signum uniuersalis dominus: nec ulli creaturæ, nec sancto quidem datur, quia nullum horum uniuersalē cæli & terræ dominum credimus. Sequitur ergo impios esse illos, qui decimas non persoluunt debitas, neque cognoscunt deum, neque timent ut dominum & totius mundi gubernatorem, quod autem ex negligentia decimarum deo ignominiam faciamus, clare hoc Malachias propheta testatur, si affigit homo deum, quia uos configitis me? & dixistis, In quo configimus te? in decimis & primitiis, & me uos configitis gens tota. Hieronymus super hoc: **Et nos, inquit, ante annos plurimos ita uertimus configet, magis ad mysterium dominicæ passionis, in qua homines crucifixerunt deum, quam ad decimas scripta referens.** Ex quo colligitur, etsi Hieronymus oculum habuerit ad passionem domini, tamen non reddere decimas assimilat peccato crucifigentium dominum. ait enim, **Vt me affigeretis cruci, ut sceleratas manus iniiceretis deo uestro, multarum ante rerum meditatione fecistis, subtrahendo decimas & primitias, nõ dico sacerdotibus, sed mihi, quod eas per Moysen iussi dare.**
- ¶ Secunda ratio hæc est, quod decimæ dandæ sunt ad ministrorum dei sustentationem, ut Paulus dicit: **Qui altari seruit, de altari uiuat.** Animaduerte hic, uiuere de altari, non dicit, sustentando eos aut ligna secando, aut arando uicium sibi querere debere, ut crassi & stupidi dicunt laici etiam parochum triturare debere. Paulus uult illum de altari uiuere.
- Matth. 22**
- Deute. 14**
- Decime cur dāde.**
- Malac. 3**
- Hierony.**
- 1. Corin. 9**
Decime ministro- rum dei.

Quis enim (dicit) militat suis stipendijs unquam? quis plā-
 rat uineam & de fructibus eius non edit? quis pascit gre-
 gem, & de lacte gregis non manducat? & quod non secun-
 dum hominem de ea re loquatur, inducit legem: Scriptū
 enim est in lege, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid
 de bobus deo cura est? an propter nos utiq; hoc dicit? Si
 uobis spūalia seminamus, magnum est si nos carnalia ue-
 stra metamus? nescitis quoniam qui in sacrario operant,
 quæ de sacrario sunt, edunt: & q altario deseruiunt, cum
 altario participant? Ita & dominus ordinauit, ut qui eu-
 angelium prædicant, de euangelio uiuant. Audi hinc q
 prædicator non triturando, secundo, aut arando uictum
 sibi quarat. Hoc enim Christi præceptum est, ut Paulus
 ait, ut q euangelium adnunciat, de euangelio uiuat. qua-
 re nullus bonus & uere Christianus, sacerdotibus pro ui-
 ctu suo laborem insungat manualementem: quia dicit dominus,
 quod omnis mercenarius dignus est mercede sua. & ille
 cum apostolos ad prædicandum miserat, uoluit etiam ut
 qbus prædicarent, uictum illis suppeterent. Consuetudo
 olim erat, ut sacerdotes ex publico fisco sustentarentur, &
 semper eminentiorem apud omnes nationes statum & or-
 dinem habuerunt, apud Indos, Mauros, Aegyptios, Per-
 sas, Romanos & Græcos, sicut ad longum ex Diodoro,
 Strabone, Valerio Maximo, Xenophonte, Iustino, Floro,
 Orosio, & reliquis historicis posse recensere, sed uolens
 prætereo. satis enim est quod in ueteri & nouo testamen-
 to expressum est, sacerdotibus & ecclesiæ ministris uictū
 & sustentationem deberi: & hæc ratio est, ut mox dicem⁹,
 cur in multis regionibus decimæ non persoluuntur, etiam
 maiores, quia alia ratiōe sacerdotibus prouisum ibi est &
 prospectum. propterea per prophetam deus dixit: Infe-
 rre omnem decimam in horreum meum, ut sit mihi cibus
 in domo mea. ita etiam Iezechias rex populo præcipie-
 bat, ut Leuitis & sacerdotibus suam partem darent, ut li-
 bere legi diuinæ uacare possent. sed postquam Iudæi ex
 captiuitate Babylonica reuersi fuerāt, sacerdotibus & Le-
 uitis partes suas propter grandem famem, quæ in terra
 erat, subtraxerunt. unusquisq; enim quod sacerdotibus
 dādum erat, uix sibi suisq; liberis sufficere arbitrabatur:

Deut. 17

**Nume. 5.
Deut. 18**

**Sacer-
dos nō la-
boret, ut
rusticus.**

Lucæ. 10

**Sacerdo-
tum digni-
tas.**

**Decime
alicubi nō
dantur.**

Malac. 3

**2. Par. 31
In penu-
ria etiam
decime
dandæ**

& cum cultores templi decimam non haberent sustentationem, emigrarunt inde & cultum diuinum reliquerunt. **Nehē. 13** quod cum uidisset **Nehemias**, increpauit eos, & dixit: *Quare derelinquimus domum dei? & congregauit eos, & fecit stare eos in stationibus suis: & omnis Iudæus apportabat decimam frumenti, uini & olei in horrea.*

Vide ergo hic primum **Malachiam** prophetam, ubi deus dicit: *Terte omnem decimam in horreum meum, quia ut Hieronymus hic expendit, horrea sacerdotum sua quoque, & cibum illorum suum iudicat. hic etiam discit, quare Iezechias rex præcepit debitas sacerdotibus partes esse dandas, propterea ut legi diuinæ uacarent. Tertio etiam hic obseruatur, non nouam esse querelam, quod impij clamant & uesani laici, quid sacerdotibus sit dandum, quo ipsi indigeant. hæc ipsa etiam uetus Iudæorum querela fuit, sed à Nehemia propheta correpti isti compulsiq; sunt ad decimas persoluendas, nulla interim habita ratione quod magna fames terram urgeret. Ita in nouo testamento priusq; decimæ & beneficia sacerdotibus constituta fuerunt, apostoli & sacerdotes sustentatione ex magnis laicorum largitionibus & oblationibus habuerunt. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, uendentes offerrebant precia eorum quæ uendiderant, & ponebant ante pedes apostolorum. Quod si hoc in hodiernum usq; esset diem, sacerdotes nullo opus haberent beneficio.*

Pauperes etiam dunt decimas.

Actus. 4

Tertio etiam audiamus, quæ non persoluentes decimas pœna maneat, uel cum persoluunt, tamen ita imperfecte, ut semper quod deterius est exponant, quoz; utrumque deo displicet. & hoc facile ex facto **Abel & Cain** intelliges, cum enim **Cain** ex fructibus terræ offerret, **Abel** uero de ouibus & pinguibus suis, deus respexit munera **Abel**, ad munera autem **Cain** non respexit. & hic supra indicauimus ex quarto libro **Moyse**, quod deus pœnam mortis indixit illi, qui sibi egregia & pinguis referuarer, quod uilius erat decimando. nunc uero deus nihil pœna mortis damnat, nisi sit peccatum mortale. Verum pecculiores etiam pœnas extra id, quod aliquis peccat, ostendemus eorum qui peruerse decimant, & se à deo auertunt, suum illi cultum & honorem detrahunt, meritoque facti

Gene. 4

Num. 18

Tertio etiam audiamus, quæ non persoluentes decimas pœna maneat, uel cum persoluunt, tamen ita imperfecte, ut semper quod deterius est exponant, quoz; utrumque deo displicet. & hoc facile ex facto **Abel & Cain** intelliges, cum enim **Cain** ex fructibus terræ offerret, **Abel** uero de ouibus & pinguibus suis, deus respexit munera **Abel**, ad munera autem **Cain** non respexit. & hic supra indicauimus ex quarto libro **Moyse**, quod deus pœnam mortis indixit illi, qui sibi egregia & pinguis referuarer, quod uilius erat decimando. nunc uero deus nihil pœna mortis damnat, nisi sit peccatum mortale. Verum pecculiores etiam pœnas extra id, quod aliquis peccat, ostendemus eorum qui peruerse decimant, & se à deo auertunt, suum illi cultum & honorem detrahunt, meritoque facti

legi appellari possunt. Inuenio nanque speciales penas in illos, qui quum de iure decimas debent, uel non persoluunt, uel parum fideliter. hoc enim per Malachiam prophetam dominus dixit, ut illum configerent in decimis & primitiis suis. & paulo infra, Et in penuria uos maledicti estis. Hic ergo habes uerba ipsius dei, non excogitata sacerdotis, quod propter iniustam & iniquam decimam penuriam & paupertate deus affligit homines. Attende etiam nostra tempora, quibus magna frumenti & uini copia crescit, neque tamen quicquam proficit. egent omnes & omnium rerum est caristia, ipsique etiam rustici colentes penuria laborant.

Malach. 3

Male decimantes deus egestate puniet

¶ Non mirum ergo est, magnam ubique rerum penuriam esse, quando ira inique decime persoluuntur, multosque ad extremam redigi paupertatem, qui nihil omnino aut certe infideliter persoluunt. Plerique etiam sunt qui monachis mendicitatem inuident, ubique contra monachorum & sacerdotum clamant multitudinem: non interim cogitantes, quantam synagoga Iudeorum copiam Leuitarum & sacerdotum indies aluit. siquidem Moyses in deserto eos numerabat, & uiginti duo millia erant. rursusque sub Dauide numerati sunt ad triginta millia. Si tantam sacerdotum copiam synagoga aluit, quid in hoc conqueri potest ecclesia fidelium?

Nume. 3

1. Para. 23

¶ Obserua etiam hic omnium filiorum primogenitos dei esse: & plures iam ubique primogeniti inter Christianos sunt quam sacerdotes. & hoc facile tibi perspectum erit, si unius duntaxat pagi numerum attendas, in quo omnes primogeniti cultui diuino adscribi deberent. Sicque immurati sunt illi pro tribu Leui, & subinde in hunc modum eorum numerum habuit deus, ut quando Leuitae omnes numerarentur simul & primogeniti, plures inuenti sunt primogeniti quam Leuitae, quia primogenitorum numerus erat uigintiduorum millium, ducentorum, septuagintatium. atque tunc oportuit eos pecunia redimi, singulos quinque siclis, qui aureos ferme Rhenanos duos conficiebant, quamuis tunc quoque pondus templi eo quo uulgus utebatur, grauius erat.

Exodi. 22
Leuit. 27.

pauci sacerdotes,
Nume. 3

¶ Quod autem male & inique decimantes deus summa

egestate & rerum omnium penuria affligat, pulcherrime
S. Augustinus testatur, dicens: Quum decimas dando, cae-
 lestia & terrestria possis promereri, pro auaritia tua du-
 plici benedictione fraudaris. hæc est enim iustissimi dei cõ-
 suetudo, ut si illi decimam non dederis, tu ad decimam re-
 uoceris, dabis iniquo militi, quod non uis dare sacerdoti.
**Et illa esse uerba Augustini, testatur concilium Magunti-
 nense in Panormia luonis cap. 4. de decimis, citans eiusdẽ
 canonis uerba: Decimæ ex debito requiruntur. (mox se-
 quitur apud Gratianum) Et qui eas dare noluerint, res ali-
 enas inuadunt. Iterum quoq; dicit Augustinus: Optimo
 iure & debito exiguntur decimæ, quas qui dare nolunt,
 aliena bona possident. Inuenias pagum, ubi coloni negat
 parocho decimas minores, illiq; præterea decedunt forte
 aurei decẽ ex oblationibus, atq; sic uidentur sibi uelut re-
 pẽ gesta multũ profecisse, sed uerum est illud uulgi. Quod
 non tollit Christus, tollit fiscus. Quum enim quondam
 solidos dederunt duodecim, nunc aureos septuaginta
 aut octoginta dare coguntur. Atque sic infidelitatem eo-
 rum corripit deus, cui quicquid detrahunt, in sextuplo ali-
 bi coguntur expendere.**

**¶ Ratio quarta: Multas in sacris literis promissiones ha-
 bemus. pollicetur enim nobis, si fideliter decimas persol-
 uimus, rerum omnium copiam & affluentiam, idq; p Ma-
 lachiam prophetam promissit: Inferte omnem decimam
 in horreum meum, ut sit mihi cibus in domo mea, & pro-
 bate me super hoc, dicit dominus, si non aperuero cata-
 ractas cæli, & effudero uobis benedictionem usq; ad abun-
 dantiam, & increpabo pro uobis deuorantem, & non cor-
 rumper fructũ terræ uestre, nec erit sterilis uinea in agro,
 dicit dominus exercituum, & beatos uos dicet omnes gen-
 tes, eritis tantum uos terra desiderabilis, dicit dominus
 exercituum. Nonne hæc clata dei uiuentis sunt uerba,
 qui mentiri non potest, cui si pusillum quid detrahatur
 de decimis & oblationibus, ille id ipsum auferit in se-**

**Dans de- xuplo ?
 cimas non 4. ¶ Quod si quis autem animo pio & ex timore dei
 habet mi- decimas recte dat, non ideo defectum patitur, sed magis
 nus. abundat in omnibus rebus, maiori prosperitate gaudet.**

Augu. de
 ciuit. dei,
 lib. 16

Malach. 3

Dans de-
 cimas non
 habet mi-
 nus.

Atq; hoc est quod uulgus hominum non credit, siqdem
 excacatum est auaritia & odio aduersus ministros dei, dū
 sacerdotes etiam aliter non considerant, nisi ut homines
 puros: neq; persuaderi possunt, quomodo & quur in ocio
 (sic enim uocat isti) uiuant, ipsis duriter laborantibus. Ve
 ra quidem sunt hæc omnia, si naturam tantum respicias.
 sed hic electio diuina consideranda uenit, unde hoc sic in-
 stitutum est. Ecce enim legimus, quod Chore, Dathan &
 Abiron temerarie nimis & confidenter efferebant se ad
 uersus Moysen & Aaron, dicentes: Satis hoc sit uobis, q
 congregatio tota sanctorum est, & dominus est in ipsis. *Num. 16*
 quur extollitis uos super populum domini? Quid inde fa-
 ctum est? quum thura adolere uellent, absorpti sunt dehi-
 scente terra sub pedibus eorum, quæ deuorauit illos cum
 tabernaculis suis & uniuersa substantia eorum, descende-
 runtq; uiui in infernum operti humo. sed & ignis egres-
 sus a domino, interfecit ducentos quinquaginta uiros, q
 offererant incensum. Possent istiusmodi alia multa ex
 scripturis adduci, sed transeo.

Hoc autem est etiam quod Augustinus ait: *Augustini.*
 Quia an-
 tiqui patres ideo omnibus copiis abundabant, qd deci-
 mas dabant. & iterum, Si decimas dederis, non solū abun-
 dantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corpō-
 ris consequeris & animæ salutem. Quamuis decimas nō
 appetit deus tanquam mercedem sibi dari, sed honorem
 debitum a nobis requirit: unde & exoptulat nobiscum, di-
 cens per prophetam: Si pater ego uester sum, ubi honor
 meus? Si dominus, ubi timor meus? dicit dominus exer-
 cituum. Vos itaque fideliter date decimas, neq; personas *Malachi. 3*
 aspiciate recipientium, sed cultum & honorem dei, q cui-
 cunq; fauerit decimas suas, & tu fac eidem non inuideas.
 Sicut de Sigismundo archiduce Austriæ fertur, quod cum
 in diuersorio apophthegma illud inuenisset descriptum,
 Quum Adam ligna finderet, & Eua heret, quis tunc erat
 nobilis? Gratius sonat in nostro uulgari:

Da Adam hæc t vnd Eua span/
 Wer was da ayn Edelman?

Subscribit iussit ille: Nihil daret sum ab alijs uiris ha-

beo, nisi quod honorem hunc mihi fauerunt superi. In no-
stra lingua:

Ich bin ain man/ wie ain ander man/
Dan das mir Got der eeren gan.

¶ Dicit multa possent de denarijs, quæ ex singulis pen-
duntur capitibus, & de decimis sceni, quæ in multis locis
non persoluuntur. sed missa facio illa omnia, quando bre-
uiter loquendo constat omnes decimas, quæ de more da-
ri debent, dandas esse tam strictæ, quàm chara est sua coi-
que conscientia & animæ propriæ salus. Nos interim
oremus dominum &c.

**DOMINICA DE OCTA-
CIMA TERTIA A FERIIIS PEN-**

tecostes, euangelium

Marci VII.



In illo tēpore Exiens
Iesus de finibus Ty-
ri, uenit per Sidonē ad
mare Galilææ, inter me-
dios fines Decapoleos.
Et adducunt ei surdum
& mutum, & depreca-
bantur eum, ut impo-
nat illi manū. Et appre-
hendens eum de turba
seorsum, misit digitos
suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguā
eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi:
Ephera, quod ē, adaperire, & statim aperta sunt